MINUTIUS FELIX. 51. Nomen Dei non quæras; Deus nomen est illi. *Prosec.*

52. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est.

53. Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est : aufer additamenta nominum, et perspicies ejus claritatem. In suo *Octavio.*

PHILO JUD. 54. Nominum impositiones manifestissimè res ipsas indicant, ut res necessario in nomen abeat sine ulla differentia. Lib. *de Cherubin.*

55. Adam omnibus reliquis imposuit nomina, sibi nullum imposuit, quia naturam propriam ignoravit. Lib. 1 *Legis allegor.*

56. Deus non habet opus nomine; attamen humano generi suum nomen largitus est, ut habentes refugium ad preces et supplicationes, a spe bona non excluderentur. Lib. *de Abrahamo.*

SALVIANUS. 57. Nihil sunt vocabula sine rebus. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

58. Quam innumerabiles populi, cessantibus meritis, etiam nomina perdiderunt! *Ibid.*

59. Multo plus est fidem habere, quam nomen : quia nomen est vocabulum hominis; fides autem fructus est mentis. *Ibid.*

60. Atrocius sub sancti nominis professione peccamus. *Ibid.*

61. Sacro-sanctum Domini Dei nomen sacrilegorum hominum maledictione violatur. *Ibid.*

62. Magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat : et reatus impii, est pium nomen. *Ibid.*

63. Parum sunt rerum vocabula, ipsas res non habentia, et nihil virtutum verba sine viribus. *Ibid.*, epist. *ad Salonium episc.*

S. SYNESIUS EPISC. 64. Nullum usquam nomen inventum est, quod Dei naturam assequeretur. *De Regno*, *ad Arcadium imperat.*

TERTULL. 65. Fides nominum, salus est proprietatum. *De Carne Christi*, cap. 13.

S. THOMAS AQUINAS. 66. Nomen imponitur ad significandum rem aliquam; et tanto nomen est altius, quanto res significata per illud est altior. Super *Epist. ad Philip.*, cap. 2, lect. 3.

67. Nomen aliquo tanto aptius est ad divinarum personarum originem designandam; quanto minus modum processionis exprimit. Super 1 *Sent.*, dist. 29, art. 1.

THOMAS KEMPIS. 68. Religionis nomen magnam laudam habet inter seculares, sed apud Deum sine contemptu seculi, parvi ponderis est. *Prosec.*

69. Quid enim valet altum nomen sine opere virtutis? quid prodest altus status sine humilitate et charitate? Serm. 14 *ad Novit.*, divis. 9.

70. Quid sanctitatis confert magni nominis dignitatio, quando parum, vel nihil virtutis residet in conscientia? Serm. 17 *ad Novit.*, divis. 4.

71. Bona vita, bonum nomen facit; et qui male se regit, bonum nomen perdit : nomen novum iterum acquirit, qui malos mores relinquit. In *Enchirid. monachor.*, cap. 6, sect. 2.

SENTENTIÆ PAGANORUM

SIXTUS PHILOSOPH. 72. Mortui sunt apud Deum, per quos nomen Dei maledicitur. *Seni.* 165.

Vide etiam tit. *Christianus*, sent. 150, 151, 153, 157, 158, 159; *Deus*, sent. 214, 215; *Episcopus*, sent. 96; *Mulier*, sent. 113.

NOVITAS MORUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Qui proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia. Lib. 14 *de Trin.*, cap. 17.

2. Nisi auxilio Christi, non poteris renovari. Super *Psalm.* LXVI.

3. Indicitur tibi quædam nova vita, et tu vetus es : novitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægravaris. Super *Psalm.* LXXV, vers. 2.

4. Remansit in vetustate, qui noluit amare novitatem. Super *Psalm.* XXXI, enar. 2, vers. 3.

5. Sic amemus novitatem, ut non timeamus vetustatem. Super *Psalm.* XXXVIII, vers. 7.

6. Omnis qui jam voluntatis suæ factus est arbiter, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. *De Pœnit. medic.*, cap. 2.

7. Cum Christianus cœperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores et contradictores, frigidos christianos. *De verbis Dom.*, serm. 18.

8. Judicet se homo voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Homil. 50, *ex.* LIII *Homil.*

9. Carnalitas vetustas est, gratia novitas : quantocunque homo in melius fuerit innovatus, tanto amplius capit quod verum sapit. Serm. 2, *fer.* 2, *Pent.*

10. Mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Epist. 118, cap. 5.

11. Non omnis novitas profana est, sed profanæ sunt verborum novitates. Tract. 97, super *Joan.*

12. Percipitur in baptismate christiano perfecta novitas. Lib. 6, *contra Julian.* cap. 18.

13. Vetus homo suggerit vetustatem, tu in novo cognosce novitatem. Tract. 22, super *Joan.*

14. Nemo eligit novam vitam, nisi quem veteris pœnitet. Homil. 27, *ex.* LIII *Hom.*; cap. 1.

15. Tunc nosmetipsos abnegamus, cum vitamus

quod per vetustatem facimus, et ad hoc nitimur quo per novitatem vocamur. Lib. 3, super *Luc.*, cap. 9, in illud : *Abneget semetipsum.*

S. BERNARD. 16. Sic adsit de novitate jucunditas, ut de vetustate non desit auctoritas. Serm. *ad Milites templi*, cap. 11.

17. Renovetur cor a carnalibus et secularibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei. Serm. 30, *de Parvis Sermon.*

18. Novitas conversionis, non est novella vanitas. *De Vita solit.*

S. BONAV. 19. Non potest vita Dei crescere in homine, nisi vita humana vetus decrescat. Collat. 19 super *Joan.*; cap. 3.

S. CÆSARIUS ARELATENS. 20. Festinemus emendatam vitam Domino, antequam auferat, offerre. Homil. 17.

CASSIODOR. 21. Est nobis tunc magna lætitia, quando antiqui hominis vetustate deposita, in novæ regenerationis gaudia commutamur. Super *Psalm.* LXIV, vers. 11.

22. Toties nos Dominus creat, quoties de vetustate peccati in novum hominem instaurare dignatur. Super *Psalm.* CIII, vers. 31 : *Et creabuntur.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 23. Jucundiores sunt illi dies, quibus renascimur, vel reparamur, quam illi quibus nascimur. Homil. 6 *de Pascha.*

GLOSS. INT. 24. Novæ vitæ mysteria non sunt committenda mentibus nondum innovatis. Super *Matth.* cap. 9.

S. JOANNES CHRYSOST. 25. Suspecta est vetustati novitas. Serm. 6, *Fer.* 6, *Passionis.*

26. Quando quis nova affert, res difficilior fit; quando maxime inveteratæ consuetudinis amovet fundamenta, et novitas introducitur. Homil. 8, super 11 *Cor.*

27. Corrumpitur externus homo dum flagellatur, renovatur autem fide, spe, charitate, ut se opponere audeat malis. *Ibid.* homil. 9, in illud : *Licet externus homo corrumpatur.*

28. Renovari est, quando quod inveteravit, aliud ex alio factum renovatur. Serm. 13, super *Epist. ad Ephes.*

S. ISID. PEL. 29. Non est grave ac sceleratum aliquid innovare, cum utilitas novitati adjuncta est. Lib. 2, epist. 46, *ad Athanas. presbyt.*

S. THOMAS AQUINAS. 30. Novus homo est animus interius renovatus. Super *Epist. ad Coloss.*, cap. 8, lect. 2.

NOVITAS MUNDANA.

COLLECTOR. *Etymologia.* Novitas dicitur, quasi nova vanitas.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Novitatis appetitio in magnas quemque deducit angustias. *De Morib. Manich.*, cap. 10.

2. Mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Epist. 118, cap. 5.

S. BERNARD. 3. Novitas mater est temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Epist. 174 *ad Canonic. Lugdun.*

4. Oculus et auris volunt nova percipere, sed nihil in novitate manet. Super *Ecclesiasten*, cap. 1. S. BONAV.

5. Pudeat religiosos rumigerulos esse, aut verborum secularium delatores. In *Speculo discipl.*, part. 1, cap. 20.

6. Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur : ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur. Lib. *contra Constantium hæretic.* S. HILARIUS.

7. Novitatis affectatores, nihil aliud demonstrant quam meram stultitiam, et arrogantiæ ostentationem. Serm. 3, super *Epist. ad Rom.* S. JOANNES CHRYSOST.

8. Qui novitatibus student, nusquam erroris finem invenient, sed nova semper proferent. homil. 8, super 2 *Tim.*

9. Profanas novitates devita. *Ibid.*, homil. 5.

10. Retenta est antiquitas, explosa novitas. In *commonit.*, cap. 9. VINCENT. LIRIN.

11. Vitanda est novitas, tenenda est antiquitas : profana est novitas, sacrata est vetustas. *Ibid.*, cap. 26.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

12. Discamus membris nostris inniti, cultum non ad nova exempla componere, sed ut majorum suadent mores. *De Tranquillit. animi*, cap. 9. SENECA.

13. Stultis et fortunæ credentibus, omnis videtur nova rerum et inopinata facies : magna autem pars est, apud imperitos mali, novitas. Epist. 76.

NOVITIUS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Totum quod antea novitio grave videbatur, paulatim leve efficitur. *De Similitud.*, cap. 77. S. ANSELM.

2. Multi languescunt in orando, et in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sint : vigilat hostis, dormis tu? Super *Psalm.* LXV. S. AUGUST.

3. Pius Dominus noster JesusChristus pusillos corde maxime novitios blanditiis solet allicere : sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam, ut in die bonorum memores sint malorum, et in die malorum non immemores sint bonorum. Serm. 3 *de Circumcis.* S. BERNARD.

4. Solet inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, et vix extingui possunt jacula ignita diaboli. Serm. 4, *Assumpt. B. M.*

5. Tribus modis renovamur : Carne, opere, carne et spiritu : carne, per baptismi mysterium ab originali peccato; opere, per pœnitentiæ remedium ab actuali delicto; carne et spiritu, per resurrectionis donum. In suis *sentent.*, verbo *Tribus*

6. Primordia conversionis primus exagitat timor, quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, et insueta austeritas disciplinæ. Serm. 33, super *Cant.*

7. Cum inceperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris tristitia tua convertetur in gaudium. Serm. 3, *Ascens.*

8. Obsecro vos, novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni et mali, nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro, ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat. Serm. 3, super *Qui habitat.*

9. Ante omnia timor novitiis necessarius est, quo nimirum peccata possint præterita delere, cavere futura. Serm. *de Diversis affect. animæ.*

10. Placent, fateor, in novitiis, quantum ad ea quæ in facie sunt, negligentior utique is qui foris apparet corporum cultus, et vestium minor cura, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Serm. 63, super *Cant.*

11. Novitius stultus fiat, ut sit sapiens : et hæc omnis sit ejus discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio. *De Vita solit.*

12. Novitius docendus est sic habere corpus suum sicut ægrotum commendatum, cui etiam multum volenti, inutilia sunt neganda, utilia vero et nolenti ingerenda. *Ibid.*

13. Novitius sic de corpore suo agere debet, sicut de non suo, sed ejus a quo pretio magno emptus est, ut glorificet eum in corpore suo. *Ibid.*

14. Si admittitur in religione superbus; prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare. *Ibid.*

15. Fervorem novitiorum non docent illæ misericordes in seipsum discretiones, et discretionum dispensationes, facilesque indulgentiæ suo judicio, non tamen recusandæ sunt alieno. *Prosec.*

16. A seipso in seipsum rigida debet esse censura, et districta severitas : ad regentem autem paternam charitatem obediens in omnibus humilitas.

17. Si alterum desit vel in deside et tepido, non spero cursus perseverantiam : vel in principio timeo ruinam, propter quod tota debet esse discretio novitii. Lib. *de Natura et dignitate amoris*, cap. 3.

18. Qui novitium suavitate et dulcedine non docet et castigat, plus novit exasperare quam corrigere. *Prosec.*

19. Prius corrigendus et castigandus est novitius a pravo opere, deinde a cogitatione : omnis enim nova conversio, adhuc pristinæ vitæ habet permixtionem. Serm. 6 *ad Sororem.*

S. BONAV. 20. Omnis qui accedit ad Dei servitium, se præparare debet ad bellum, quia statim armatur diabolus contra eum. Serm. 2 *de S. Agnete.*

21. Novitius debet in disciplina nutriri et informari sicut parvulus in domo, sicut plantula in horto, et sicut virgula in virgulto. Tit 4 *Diætæ*, cap. 1.

22. Novitius debet instar plantulæ de mundo radicitus evelli, in religione transplantari, in sancto proposito radicari, circumspectione claudi, devotione rigari, confessione purgari, exercitio et occupatione fodi et excoli. *Ibid.*

23. Novitius in virgulto religionis debet habere radicem profundæ humilitatis, stipitem rectæ intentionis, frondes sinceræ dilectionis, folia honestæ locutionis, flores pulchræ conversationis, fructus bonæ operationis. *Ibid.*

24. Novitium prudentem et sapientem, in cella diu posse consistere, et in congregatione durare, est impossibile. In *Speculo discipl.*, part. 2, cap. 3.

25. Novitii non frangantur adversitate, vel tentatione : sed cogitent, quia ad hoc venerunt. Qui intrat bellum, scit quod non quietem et delicias, sed laborem et vulnera oportet eum expectare. Lib. 1 *de Profectu religios.* cap. 1.

26. Qui delicate servum suum, id est, corpus suum nutrit ab infantia, scilicet novitiatus, postea illum sentiet contumacem : vel piger erit ad bona, vel ad peccatum proclivior, maxime carnis. *Ibid.*, lib. 2, cap. 14.

27. Plane magnus vitæ fructus est, seculum potuisse despicere, et Deo servire cœpisse : evasisse vitiorum infelicissimum dominatum. Hom. 29. S. CÆSARIUS ARELAT.

28. Multi novitii in prælio succumbentes deficiunt, non satis instructi in modis ac mediis resistendi. In *Exhort. ad Novit.*, art. 6. DIONYSIUS CARTHUS.

29. Novitiis in suo novitiatu non multum vacat lectioni ac studio immorari, sed ea quæ ordinis sunt diligenter addiscere. *Prosec.*

30. Sed quæ legunt hora vacante esse debent salubria, et suo proposito magis accommoda : ut pote ea quæ compunctionem inducunt, devotionem nutriunt et inflammant, timorem Dei in corde stabiliunt, et quæ ad vitiorum horrorem, ad mundi contemptum, ad suipsius asperna-tionem et humiliationem vehementius incitant. *Ibid.*, art. 9.

31. Monachus juvenis in abstinentia firmetur, vanamque gloriam spernat; quia novella est planta a Deo sanctificata. *Ad Monachos paræ-nes.* 1. S. EPHRÆM.

32. Novitius si quis sit inobediens, contumeliosum probrisque obnoxium sibi nomen conciliat. *Ibid.*, parænes. 4.

33. Paulatim ac per partes ædificatur civitas,

et cum gubernatione oritur bellum : sic quoque novitium cum judicio, et discretione regere oportet. *Ibid.*, parænes. 16.

34. Risus et impunitas instar veneni novitio obest. *Ibid.*, parænes. 46.

FRANCISCUS TITELM. 35. Tutius est novitio obmutescendo, quam hinc inde argumentando et respondendo adversus malos suasores agere, si firmus velit in eo quod cœpit vel proposito perstare. In *Annot.* super *Psalm.* XXXVII.

GLOSS. ORD. 36. Multi qui in fide præcesserunt, ferventiora novitiorum studia æmulantur. Super I *Esdræ.*, cap. VI.

S. GREGOR. MAGN. 37. Conversorum initia bonis moribus malisque permixta sunt, quia et nova vita jam per intentionem agitur, et vetus adhuc ex usu retinetur. Lib. 31 *Moral.*, cap. 17.

38. Divinæ gratiæ dispensatione agitur, ne in inchoatione sua novitii tentationum asperitate frangantur : quia si eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facile ad ea, quæ reliquerant, redirent, quam nec longius discesserant. *Prosec.*

39. Ex Ægypto exeuntibus e vicino bella subtrahuntur : quia derelinquentibus seculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa sua teneritudine atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod evaserant.

40. Prius ergo suavitatem securitatis sentiunt, prius pacis quiete nutriuntur : post cognitam vero dulcedinem, tanto jam tolerabilius tentationum certamina sustinent, quanto in Deo altius cognovere quod amant. *Ibid.*, lib. 24, cap. 7, num. 13.

41. Qui in regularis vitæ forti proposito aliis præsunt, tanto discretius debent ad eamdem vitam conversos recipere, quanto et utilius prænoscendum est accedentium petitio ex virtute sit animi, an ex præcipitatione voluntatis. *Prosec.*

42. Libertas rectoris in recipiendis novitiis est obligatio subditi : quia tanto districtiori sententiæ subditur, quanto apertius scire potest eum, quia de eo omnipotenti Deo reddere rationem debet. Lib. 4, in I *Reg.*, cap. IV, super illud : *Et audivit Samuel omnia verba.*

43. Nullus qui ad bonum propositum conversus, adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur : quia frumentum de herba incipit, ut granum fiat. Hom. 15, super *Ezech.*

44. Dura sunt quæ contra usum spiritualiter animo proponimus, et tamen onus Dei leve est postquam hoc ferre cœperimus. *Ibid.*, hom. 17.

S. HIERON. 45. Nequissimi hostis est illa prima calliditas, et ars doli plena, fatigare cogitationibus rudes animas, novellis in proposito mentibus de ipsa interdum conversione affiere mœrorem. Epist. 1 *ad Demetriad.*

46. Exercitium novitio, disciplinæ esse debet inchoatio; virtus, perfectio : præmium virtutis, æternæ beatitudo. *De Inst. novit.* HUG. A S. VICTORE.

47. Maxime novitiis periculosus est omnis egressus, quia cito læduntur. Super *Genes.*, cap. XXXIV. HUGOCARD.

48. Novitius est quasi flos, quem videt diabolus, quando suggerit ei quod delectabile est; manu tenet, quando ille consentit : devorat, quando opus perpetrat. *Ibid.*

49. Diabolus quasi fercula delicata libenter comedit novitios. *Ibid.*

50. Novitii non debent aliquid habere suum. Super IV *Reg.*, cap. VI.

51. Ne lætitia extollat, et securitas sternat, dispensante Deo permittitur, ut post conversionem novitius stimulis tentationum fatigetur. *Prosec.*

52. Sicut sponsus sponsam blandimentis fovet, deinde increpationibus probat, tandem probatam securius possidet : sic novitios prius dulcia suscipiunt, quæ consolentur; deinde amara, quæ exerceant : tandem suavia atque sublimia, quæ confirment. Super *Job.*, cap. XXIII.

53. Novitii primo fervorem magnum, sed postmodum tepiditatem pariunt, Super *Isai.*, cap. XXXIII.

54. Ad perfectionem ut facile juniores valeant pervenire, nullas debent cogitationes prurientes in corde permitiosa confusione celare : sed confestim ut exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori. *Prosec.* JOAN. CASS.

55. Ita fit, in nullo circumvenire juniorem callidus inimicus, velut inexpertum ignarumque prævaleat, nec ulla fraude decipere, quem prævidet non sua, sed senioris discretione muniri.

56. Aliter subtilissimus diabolus illudere, vel dejicere juniorem non poterit, nisi cum eum, seu per arrogantiam, sive per verecundiam, ad cogitationum suarum velamem illexerit.

57. Generale et evidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiatur, si eam seniori confundantur aperire. *De Cœnob. inst.*, lib. 4, *de Inst. renunt*, cap. 9.

58. Qui fervorem deseruit novitiatus, hunc postea ligat obstinata et indurata senectus; adeo ut nec corrigi, nec emendari valeat senex, qui negligenter vixerat juvenis. Super Prolog. *Regul. S. Bened.*, cap. 2, text. 4. JOAN. TRIT.

59. Sicuti aqua extinguit ignem, cui infunditur : sic novitiorum sanctum propositum exemplis tepidorum violatur. Lib. 1, hom. 11, *ad Monacho*

60. Talis sit rector novitiorum, qui zelum ani-

marum habeat, qui vulneribus tentationum sanandis idoneus existat; qui vinum increpationis prudenter et opportune sciat infundere, qui oleum consolationis tempore congruo noverit adhibere. *Prosec.*

61. Sit conversatione maturus, consilio cautus, eloquio succinctus, moribus bonis stabilis, interno exercitio firmus.

62. Quales habere futuros desiderat, tales in principio novitios componat.

63. Novitius enim qui in exordio conversionis suæ negligitur, nunquam ad observantiam disciplinæ deinceps revertetur : et laxitatem illam, in qua semel convaluit, quamdiu vixerit non emendabit.

64. Nunquam enim ex malo novitio, bonum monachum habiturus es. Maximam itaque cladem religioni affert negligens institutio novitiorum. Orat. 5, *in Conventu abbat. habita.*

S. ISIDORUS PELUSIOTA. 65. Monasticæ vitæ tirones, nec regulæ jugo immodico onerare oportet, ne statim in ipsis præludiis animis frangantur ac deficiant, nec rursus indomitos ac laborum expertes relinquere ne in socordiam et ignaviam prolabantur, sed paulatim ad altiora provehere. Lib. 1, epist. 258, *ad Petrum.*

S. LAURENT. JUSTIN. 66. Nullus alius locus debetur novitio, quam ubi sunt pedes Jesu : sed primo retro secus pedes ipsius Domini Jesu sedeat, ut postmodum mereatur sedere ante Jesum, et ad pedes Jesu. *De Discipl. monast. conversat.*, cap. 8.

67. Nihil ita fructuose ad meditandum inexperto offertur novitio, sicut Christi vita, et potissimum ipsius passio gloriosa. *Prosec.*

68. Sunt enim Salvatoris gesta spirituale lac; introducendis novitiis proficuum, et prorsus necessarium. *Ibid.*

PETR. BLES. 69. Periculosum est neophytis, et nondum in sancta religione firmatis, exire in publicum. Epist. 13, *ad Monach. novit.*

70. Non te deterreant conversionis primitiæ, novum obedientiæ jugum, inconsuetus tibi ordinis rigor, et austeritas disciplinæ. *Prosec.*

71. Quidquid asperum nunc videtur, obedientia, tibi convertet ad lucrum, et quæ nunc amariora sunt, usu mediante dulcescent.

72. His enim, qui de tenebris progrediuntur ad lumen, lux imprimis molesta est, donec oculi lumini assuescant. *Ibid.*, epist. 137, *ad Alexandr. de S. Albano.*

S. PETRUS DAM. 73. Tentet novitius sæpe majora, ut quæ minora sunt, reddantur eorum collatione facilia. Opusc. 13, cap. 22.

74. Studeat novitius, qui ardua tentans, angustum iter ingreditur; ut cum gravari ultra vires cœperit, mox ad latitudinem revertatur. *Ibid.*

THOMAS A KEMPIS. 75. Caveat diligenter novitius, ne devotionis gratiam perdat torpore infestus, sed omni tempore ad spiritualem pugnam se præparet, et oret sæpius ut vincat. Serm. 18, *ad Novit.*, divis. 2.

IN VIT. PAT. 76. In nullo sic gaudet inimicus, quomodo in illo novitio, qui non vult cogitationes suas manifestare. Lib. 3, num. 177.

77. Nihil sic quærit Deus ab his, qui primitias habent conversionis, quomodo obedientiæ laborem. Lib. 5, libell. 14 *de Obedient.*, num. 15.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 78. Virtus, probitas, integritas in candidato, non ars, non scientia requiri solet. Orat. 31, *pro Plancio*, num. 62.

SENECA. 79. Nihil insolentius novitio divite. Lib. 2, *Controvers.* 9.

80. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit. *De Divina provident.*, cap. 4.

Vide etiam tit. *Disciplina*, sent. 24; *Egredi*, sent. 59; *Officium divinum*; sent. 28; *Tepidilas*, sent. 22.

NUGÆ.

COLLECTOR. *Etymologia.* Nugæ a non et ago componi videtur, eo quod qui nugatur, nihil agat.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST. 1. Quam suave mihi subito factum est, carere a suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium est. Lib. 9 *Conf.*, cap. 1.

2. Majorum nugæ, negotia vocantur; puerorum autem puniuntur a majoribus. Lib. 1 *Conf.*, cap. 9.

3. Separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat. *De Utilit. cred.*, cap. 1.

S. BASILIUS MAGNUS. 4. Nugæ revera ingentes sunt, imperantem aliquem sibiipsi et præceptorem desidere, et heriliter ac vehementer seipsum urgere. Hom. 9, *in Hexam.*

S. BERNARD. 5. Consecrasti os tuum Evangelio, nugis jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Lib. 2 *de Consid. ad Eugen. pap.*

6. Inter seculares nugæ, nugæ sunt; in ore sacerdotis, blasphemiæ. *Ibid.*

7. Interventendum est caute et prudenter nugacitati secularium, prorumpendum sane in serium quid, quod non modo utiliter, sed libenter audiant, et supersedeant otiosis. *Ibid.*

8. Nugæ quæ inter homines versantur, insipientiam eorum adaugent, qui ipsis utuntur. Super *Ecclesiasten*, cap. 6.

S. GREGOR. TAUMA. 9. Stultitiæ verborum, nugacitas conjuncta est. Super *Eccles.*, cap. v.

S. HIERON. 10. Nugas terimus, et fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. Epist. 1 *adversus Heleid.*

11. Nugas terimus, et aniles et superfluas cantilenas longo sermone convincimus. Epist. 15, *ad Pammach.*

HUGO A S. VICTORE. 12. Fascinatio nugacitatis seducit cor. Lib. 2, *de Claustr. anim.*, cap. 20.

13. Mundi amatores, qui vocari christiani volunt nugas diligunt. Lib. 4 *de Arca Noe*, cap. 8.

S. JOANNES CHRYSOST. 14. Extremæ insaniæ est, hominem ridiculum, probrosum, turpem, ignominiosum, et omni supplicio dignum; adhuc tamen in nugis gloriari velle. Serm. 11, super *Epist. ad Rom.*

15. Fideles homines juveniliter nugari, desipere et insanire est. Homil. 9, super II *Cor.*

16. Omnia apud Philosophos gentiles, sunt nugæ, fabulæ, scena et hypocrisis. Homil. 16; *ad Pop. Antioch.*

S. JUSTIN. MART. 17. Si nugæ vobis videntur, verba nugarum plena, contemnite. In *Apolog.* 2.

S. PET. MAUR. ABB. CLUNIAC. 18. Oris tui ostium utilitati aperiatur, nugacitati claudatur. Lib. 1, epist. 20, *ad Gillebert.*

SALVIANUS. 19. Miseri jam sumus, et nondum nugacis esse cessamus. Lib. 6, *de Gubern. Dei.*

20. Criminosior luxuriosa paupertas, et majoris invidiæ miser nugax. *Ibid.*, lib. 7.

S. THEODOR. 21. Otiosorum proprie sunt nugæ. Super II, *Thess.*, cap. III.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA. 22. Frivolis turbamur et inanibus. Lib. 3 *de Ira*, cap. 30.

Vide etiam tit. *Ecclesia*, sent. 90, 91; *Risus*, sent. 57; *Suavitas*, sent. 6, 7; *Vaniloquium*, sent. 7.

NUPTIÆ.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non dissuadeo nuptias, sed eos damno qui dissuadere consueverunt. Lib. 1, *de Virgin.*

2. Docuit Apostolus non damnandas esse nuptias, sed probandas; nuptiis tamen ipsis, integritatis studia præferenda. *Ibid.*, lib. 3.

3. Bona vincula nuptiarum, sed tamen vincula : etsi vincula, tamen vincula charitatis. Lib. 3, *de Virgin.*

4. Non prohibemus secundas nuptias; sed non probamus sæpe repetitas; neque enim quidquid licet, et decet. Lib. *de Viduis.*

5. *Melius est nubere, quam uri.* Pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur, non pro electione præscripsit casta et continens quid sequatur. Lib. *de Viduis.*

6. Invitæ nuptiæ solent malos proventus habere. Super I *ad Corint.*, cap. VII, in illud : *Cui vult nubat.*

7. Cum dicit nubat, lege loquitur naturali, quanquam a Deo primæ nuptiæ sint, secundæ vero permissæ sunt. *Prosec.*

8. Primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ autem, et in præsenti carent gloria : concessæ sunt enim propter incontinentiam. *Ibid.*

S. AUGUST. 9. Nuptiæ, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem feminamque conjungunt. *De Moribus Manich.*, cap. 18.

10. Nuptiarum bonum non extinguit, sed modificat inobedientium membrorum malum; ut limitata quodammodo concupiscentia carnalis, fiat saltem pudicitia conjugalis. Epist. 57, quæst. 2.

11. Nihil prohibere potuit, ut essent in paradiso honorabiles nuptiæ, et thorus immaculatus. Lib. 9, *de Genesi ad lit.*, cap. 3.

12. Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis; recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. *Ibid.*, cap. 7.

13. Concupiscentiam nuptiæ ordinant, continentia cohibet et refrænat. *Ibid.*, cap. 10.

14. Ad hoc nuptiæ sunt, ut concupiscentia redacta ad legitimum vinculum, non difformis et dissoluta fluitaret, habens de se ipsa irrefrænabilem carnis infirmitatem; de nuptiis autem indissolubilem fidei societatem : de seipsa progressum immoderate cocundi; de nuptiis modum caste procreandi. *De Bono conjugali*, cap. 5.

15. Nuptiæ ab adulterio, seu fornicatione defendunt : neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. *Ibid.*, cap. 6.

16. Nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur impiorum. *Ibid.*, cap. 8.

17. Nimium detestanda est, quæ continens a nuptiis, non continet a luxuria. *Ibid.*, cap. 12.

18. Posse fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea placito consequente, manifestum est. *Ibid.*, cap. 14.

19. Manet vinculum nuptiarum, etiam si proles cujus causa initium est, manifesta sterilitate subsequatur. *Ibid.*, cap. 15.

20. Sicut filii boni adultorum, nulla defensio est adulteriorum : sic mali conjugatorum, nullum crimen est nuptiarum. *Ibid.*, cap. 16.

21. Quidam homines tanquam ascendunt in nuptias gradu honestatis, quidam vero descendunt gradu pietatis. *Ibid.*, cap. 17.

22. In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri. *Ibid.*, cap. 18.

23. Bono nuptiarum procul dubio bonum continentiæ præferendum est. *Ibid.*, cap. 19.

24. Bonum sunt nuptiæ, in quibus tanto me-

liores sunt conjugati, quanto castiores, ac fideliores Deum timent. *Ibid.*

25. Bonum sunt nuptiæ, et contra omnes calumnias possunt sana ratione defendi. *Ibid.*, cap. 20.

26. Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines, in causa generandi est, et in fide castitatis. *Ibid.*, cap. 24.

27. Bona nuptiarum sunt proles, fides, Sacramentum. *Ibid.*

28. Dicimus nec a diabolo, sed ab ipso Deo nuptias institutas. Lib. 2 *ad Bonifac.*, cap. 5.

29. Nuptiæ quanto magis sunt laudandæ, tanto minus eis imputanda carnis concupiscentia, quam invenerunt in hominibus nuptiæ, non fecerunt: quia et illa in plurimis sine ipsis est, et ipsæ si nemo peccasset, sine illa esse potuerunt. *Ibid.*, lib. 3, cap. 8.

30. Nuptiarum laus est, justa copulatio sexuum, non iniqua defensio vitiorum. *Ibid.*, lib. 4, cap. 5.

31. Sic nuptiæ sunt laudandæ, ut nullo modo ad earum culpam vituperationemque pertineat, quod omnes homines primorum hominum peccato nascantur obnoxii. Lib. 1, *contra Julian.*, cap. 2.

32. Bonæ nuptiæ thorum habent immaculatum. *Ibid.*, cap. 24.

33. Immunditia naturarum non est crimen nuptiarum, bonum quippe discernitur proprium nuptiarum a quolibet vitio naturarum. *Ibid.*, lib. 2, cap. 1.

34. Contra languoris malum adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia. *Ibid.*, lib. 5, cap. 16.

35. Nuptiarum bonum homines infidelos infideliter utendo, in malum peccatumque convertunt. *Ibid.*, lib. 4, cap. 6.

36. Nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 1.

37. Pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset; nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset. *Ibid.*

38. Nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus. *Ibid.*, cap. 7.

39. Nuptiæ institutæ sunt causa generandi, non peccandi. *Ibid.*, lib. 2, cap. 26.

40. Malum pudendæ libidinis et potest esse sine nuptiis, et potuerunt esse nuptiæ sine illo. *Ibid.*

41. Aliæ nuptiæ sine pudenda libidine, aliæ cum pudenda libidine. *Ibid.*, cap. 32.

42. Illæ quæ virginitatem Deo vovent, sine nuptiis non sunt: nam ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Tract. 9, super *Joan.*

43. Melior est castitas cælibum, quam castitas nuptiarum. *De Bono conjugali*, cap. 22.

44. Omne nuptiarum bonum impletum est in Joseph, et Maria, parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Lib. 1, *de Nuptiis*, cap. 11.

45. Carnalis concupiscentia laudabilius continentiæ virtute frænatur, quam fructibus impenditur nuptiarum: tam magnum est enim malum ejus, ut eo non uti, quam bene uti sit melius. Lib. 4, *contra Julian.*, cap. 7.

46. Fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem conjugii non præit obscœna voluptas. *De Vera virgin.* S. BASILIUS MAGNUS.

47. Turtur compare uno contenta est, quo amisso alterum jam non admittit, numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens. *Prosec.* S. BERNARD.

48. Nam etsi forsitan culpa propter incontinentiam venialis est, ipsa tamen tanta incontinentia turpis est: pudet ad negotium honestatis rationem non posse in homine, quod natura possit in volucre. Serm. 59, super *Cant.*

49. Nuptiæ sumptuosæ, damnum sine honore conferunt. Epist. *de Cura et regim. rei famil.*

50. Nuptiarum festa improba, et convivia lasciva vitanda sunt. *De Discipl. et habitu virgin.*, cap. 9. S. CYPRIAN.

51. Quis illi in nuptiis locus est, cui animus ad nuptias non est? *Ibid.*

52. Ad nuptias pudica quæ venerat, impudicior discedit. *Ibid.*

53. Nubens post votum, pejor est adultero. In *Decret. Gratiani.* GLOSS. DEC.

54. In spiritualibus nuptiis a luctu incipitur, sed ad gaudia æterna pervenitur. *Prosec.* S. GREGOR. MAGNUS.

55. Carnales autem nuptiæ a lætitia semper incipiunt, et ad finem cum luctu tendunt. Lib. 4, *Dialog.*, cap. 13.

56. Laudabiles sunt nuptiæ, præ nuptiis tamen puritas: nuptiæ indicium sunt perturbationis, castitas vero splendoris: nuptiæ parentes sanctorum, puritas autem sacrificium. Orat. 27 *ad Virginem.* S. GREG. NAZ.

57. Prædicator continentiæ, nuptias ne concilet. Epist. 2 *ad Nepotian.* S. HIERON.

58. *Melius est nubere, quam uri*: tolle quod pejus est uri et per se bonum non erit, nubere. Epist. 9, *ad Salvinam.*

59. Quid angustiarum habeant nuptiæ, didicisti in ipsis nuptiis. Epist. 10, *ad Furiam.*

60. Nulla vidua nuptias contemptura, timeat egestatem. *Ibid.*

61. In secundis nuptiis superducit mater filiis, non nutricium, sed hostem, non parentem, sed tyrannum. *Prosec.*

62. Inflammata libidine obliviscitur uteri sui, et inter parvulos suas miserias nescientes, lugens dudum nova nupta componitur.

63. Nulla maritum ducit, ut cum marito non dormiat: aut si certe libido non stimulat, quæ tanta insania est, in more scortorum prostituere castitatem, ut augeantur divitiæ, et propter rem vilem atque perituram, pudicitia, quæ pretiosa et æterna est, polluatur.

64. Si habes liberos, nuptias quid requiris? si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, et rem incertam certo præfers pudori? *Ibid.*

65. Cogita quotidie te esse moriturum, et nunquam de secundis nuptiis cogitabis. *Ibid.*

66. Multo tolerabilius est digamam esse, quam scortum: in altero enim miseriarum consolatio, in altero pœna peccati. Epist. 2, *ad Geruntiam.*

67. Non possunt habere pudicitiæ libertatem, qui serviunt dominatui nuptiarum. *Ibid.*

68. Sub hæredum patrocinio sibi libido viduarum blanditur, ut quod propter intemperantiam suam faciunt, videantur facere desiderio liberorum. *Ibid.*

69. Proponis mihi gaudia nuptiarum, ego tibi opponam pyram, gladium et incendium: non tantum boni est in nuptiis quod speramus, quantum mali, quod accidere potest, et timendum est. *Ibid.*

70. Non est detrahere nuptiis, cum illis virginitas antefertur. Epist. 22, *ad Eustoch.*

71. Laudo nuptias, laudo conjugium; sed quia virgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam. *Ibid.*

72. Non damno digamos, imo nec trigamos: et si dici potest, octogamos: plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem: quidquid æqualiter licet, æqua lance pensandum est. Lib. 1, *adversus Jovian.*

73. Nuptiæ terram replent, virginitas paradisum. Lib. 1, *adversus Jovian.*

74. Portia minor, cum laudaretur apud eam quædam bene morata, quæ secundum habebat maritum respondit: Felix et pudica matrona nunquam præterquam semel nubit. *Ibid.*

75. Cito impudicas nuptias satietas solvit, cum primum lenocinium libidinis abscessit; quod libebat eviluit. *Ibid.*

76. Plus honorantur nuptiæ, quando quod de illis nascitur, plus amatur. Epist. 22, *ad Eustoch.*

77. Qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis: dum et continentibus laudem tollit, et incontinentibus sublato nuptiarum remedio, fornicationis facit inire discrimen. Super I *ad Timot.*, cap. IV, in illud: *Prohibentium nubere.*

78. Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ. *Hab.* in *Decret. Gratiani*, dist. 27, can. *Virgines.*

79. Voventibus virginitatem, non solum nubere; sed etiam velle, damnabile est. *Hab.* in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 27, can. *Voventibus.* S. JOANNES CHRYSOST.

80. Ne excuses te propter nuptias, Dominus tuus nuptiis interfuit, et nuptias honestavit: et tu nuptias arguis, et dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem. Serm. in illud: *Nuptiæ factæ sunt.*

81. Ubi domus nuptiarum referta fœditate, vide illic turpia verba, risum incompositum, vestem et gressum plenum turpitudine, et gestus stultitiam et insipientiam præ se ferentes, omnia illic risum et ridicula. *Prosec.*

82. Non ipsas nuptias dico, absit, sed ea quæ in nuptiis fiunt. Insanit tunc natura, præsentes pro hominibus bruta fiunt, et alii quidem ut equi hinniunt, alii vero ut asini calcitrant.

83. Magna ibi diffusio, magna dissolutio, nihil maturum, nihil generosum, magna diaboli pompa, cymbala, tibiæ, et cantica plena scortationum et adulteriorum. Hom. 42, super *Acta Apost.*

84. Quanta olim honestate nuptias homines egerint, audite qui ad satanicas pompas spectatis: num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? Hom. 56, super *Gen.*

85. Nuptiæ res quidem pretiosa et nobis et externis videtur: verum perfectis nuptiis tot ridicula sequuntur, quot mox audietis: etenim choreæ, cymbala, tibiæ, verba et turpes cantilenæ, ebrietates, bacchanalia, et multa diaboli moles inducitur. Hom. 12, super I *Cor.*

86. Si ista spurca abegeris, veniet et Christus ad nuptias: ubi tibicines sunt, nusquam Christus est. Hom. 12, super *Epist.. ad Coloss.*

87. Felices nuptiæ, felices illæ, quibus Christus est præsens! non luxu, sed virtutibus consecrantur. Serm. 157. S. PETRUS CHRYSOL.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

88. A re venerea ante nuptias purus esto; sin attigeris, ea legitime utendum. In suo *Enchirid.* cap. 47. EPICTETUS.

89. Habent locum maledicti crebræ nuptiæ. In suis *Sent.* sent. 176. PUBLIUS PUB.

90. Mulier, quæ nubit multis, multis non placet. *Ibid.*, sent. 250.

Vide etiam tit. *Joannis Bapt. encomia*, sent. 43; *Votum*, sent. 28.

NUTRIMENTUM.

SENTENTIÆ PATRUM

1. Non deficit salutaris usus alimenti, nisi cum S. AMBROS.

venerit dies suprema moriendi. Lib. 7, super *Luc.*, cap. XII, in illud : *Nolite solliciti esse.*

S. AUGUST. 2. Dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. *Prosec.*

3. Ipse enim transitus, voluptas est, et non est alius, qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas.

4. Et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa, periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa fieri debet.

5. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est : et sæpe incertum est utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.

6. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, et in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

7. Edendi et bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi et sitiendi molestia. Lib. 8, *Conf.*, cap. 3.

8. Quis est, qui non in cibo rapiatur aliquando extra metas necessitatis? Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

9. Alimenta carnis corrupta id est amittentia formam suam, in membrorum fabricam migrant. *De Vera relig.*

10. Quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari : cum omnis illius voluptatis sit finis non esurire ac sitire. *Ibid.*, cap. 53.

11. Non usus ciborum, sed concupiscentia refrænanda est : non enim interest omnino quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum est. *Prosec.*

12. Magis autem interest, non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ, et pro suæ valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate atque serenitate animi careat; cum his vel oportet, vel etiam necesse est carere. Lib. 2, *Quæst. Evang.*, quæst. 11.

13. Quemadmodum medicamenta, sic alimenta sunt sumenda. Lib. 10, *Conf.*, cap. 31.

14. Pascet te, qui fecit te ; si pascit latronem, non pascet innocentem? *Prosec.*

15. Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos ; si pascit damnandos, non pascet liberandos? Super *Psalm.* LXI, vers. 10.

16. O quam plures sunt, qui prius corpus reficiunt, quam animam! Serm. 33, *ad Fratr. in eremo.*

17. Panes quibus alimur in hac vita, tres sunt : purgatorius cum amaritudine, consolatorius cum dulcedine, solidus cum fortitudine. In suis *Sentent.*, verbo *Panes.* S. BERNARD.

18. Crede te Deo, committe te ei, et ipse te enutriet. Serm. 5, *Vigiliæ Nativ.*

19. Caro pascenda est, et extinguenda vitia. In *Formula honestæ vitæ.*

20. Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat. Lib. *de Passione Dom.*, cap. 42.

21. Sic debes nutrire corpus tuum, ut non superbiat : sic debes refrænare, ut non cadat. Sic debes reficere, ut serviat : sic debes castigare, ut non pereat. *Prosec.*

22. Si enim carnem tuam, plusquam oportet, reficias, inimicum tuum nutris. Serm. 24 *ad Sororem.*

23. Quanto corpus impletur, tanto anima minoratur. Lib. 2, *Pharetræ*, cap. 12. S. BONAV.

24. Nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio; nihil sic sanitatem servat, nihil sic acumen sensuum operatur. *De Grad. virt.*, cap. 12, *de Temperantia.*

25. Qui delicate corpus suum nutrit, postea illum sentiet contumacem. Lib. 2, *de Profectu religios.*, cap. 14.

26. Ne in corporis cura universum tempus nostrum insumamus, sed quandocunque corpus esurit et nutrimentum appetit, cogita et animam tuam suo tunc cibo necessario refocillari velle. *Prosec.* S. EPHRÆM.

27. Quemadmodum corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit : sic et anima, nisi spiritualis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est. *De compunct. animi.*

28. Refectione tua non voluptas expleatur, sed sustentetur infirmitas. Epist. 2, *ad Gallam*, cap. 13. S. FULGENT.

29. Filius patrem egentem cogitur alere. In *Decretis Gratiani.* GLOSS. DEC.

30. Magnus discretionis labor est, corpori aliquid impendere, et aliquid denegare; et non dando gulam restringere, et dando naturam nutrire. *Prosec.* S. GREGOR. MAGNUS.

31. Sic voluptas sæpe sub necessitatis specie se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat.

32. Facile est deprehendere, cum voluptas ejus necessitatem prævenit : sed valde est difficile discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subjungit.

33. Eo tempore quo necessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid voluptas suppetat, ignoratur.

34. Dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur.

35. Plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur. Lib. 30 *Moral.*, cap. 14, num. 28.

36. Sæpe dum carnis inopiæ satisfacere curatur, voluptas surrepit, et modum refectionis excedit. Hom. 19, super *Ezech.*

37. Manducare et esurire novit, qui et corpus moderate reficit, et ad immoderatam ciborum perceptionem suggerenti gulæ vitio non consentit. *Prosec.*

38. Justum est ut reficiatur corpus, sed iniquum valde est, ut refecta caro per ardorem libidinis ad contumeliam spiritus excitetur. Lib. 5, in I *Reg.*, cap. I, super illud *Philip.* IV : *Scio manducare et esurire.*

39. Electi viri sciunt necessitati corporis alimenta justa præbere. *Ibid.*

40. Panis alimentum corporis est, verbum mentis. *Ibid.*, lib. 4, cap. 4, super illud : *Ut comedas mecum.*

41. Qui corpus sine mente reficiunt, mente mortui sunt, carne vivi. *Ibid.*

S. HIERON. 42. Qui delicate a pueritia nutrit corpus suum, quod animo debuerat subjugare, is ubi ad annos adolescentiæ pervenerit, lasciviosum hoc et indomabile sentiet. Lib. 3, super *Prov.*, cap. XXIX, super illud : *Qui delicate.*

HUGO A S. VICTORE. 43. Sic nutrienda est caro, ut serviat : sic domanda, ut non superbiat. Super *Regul. D. August.*, cap. 3, in illud : *Carnem vestram domate.*

44. Ut tu igitur sanus justo moderamine vivas, noxia devitans, alimenta salubria sumas. Lib. 3, *de Claustro anim.*, cap. 8.

45. Corpus tuum si regulas necessitatis excesserit, et ad barathrum concupiscentiæ os aperuerit, lacum perditionis sibi effodit in hospitio reparationis, et de remedio comparat exitium, de vehiculo naufragium. Lib. 3, *de Anima*, cap. 13.

HUGO CARD. 46. Sicut pisces nutriuntur in aquis, sic homines justi debent nutriri in aquis tribulationum. Super *Isai.*, cap. L.

S. JOANNES CHRYSOST. 47. Enutri corpus, non eneca ; idcirco alimenta sunt, non ut eis corpus perimas, sed ut alatur. Hom. 13, super I *Tim.*

48. Nutrimentum nisi ex sufficientia, non fit. cum vero plus exuberat, quam reficiendi corporis ratio postulat, non solum nutrimentum nullum est, sed etiam corruptio generatur. *Prosec.*

49. Vis nutrire corpus? reseca quod est supervacaneum, et quod sufficiat subministra.

50. Non aggraves corpus tuum, ne demergas illud, sufficientia quippe nutrimentum et voluptas est illi. Hom. 29, super *Epist. ad Hebr*

51. Nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. *Ibid.*

52. Sufficientia cum nutrimento, et sospitatem simul etiam procreat et voluptatem. *Ibid.*

53. Venter esuriens amorem inhonestum non valet procreare, magis autem neque sufficientia si fuerit moderata. *Ibid.*

54. Quod nutrit tantum est mediocritas, quod et confici potest : quod vero supra necessitatem affluit, non modo non nutrit, verum et illud corrumpit. Homil. 55, *ad Popul. Antioch.*

55. Ubi satietas fuerit, non potest esse appetitus : absente vero appetitu, quomodo potest adesse voluptas?

56. Vis corpus alere? tolle superfluum, da quod satis est, et quantum concoquere potest : ne aggraves ipsum, ut non submergas. *Ibid.*

57. Sufficiens modus, voluptas est et alimentum et sanitas : plus autem, pernicies est et fastidium et ægritudo. *Ibid.*

58. Non ad saturitatem et delicias, sed ad necessitatem nutrimentum est. *Ibid.*, homil. 57.

59. Simplex victus, et mensa mediocris, plurimum jucunditatis habet et voluptatis. Homil. *Quod nemo lædatur.*

60. Nostri victus nobis terminus sit, quod non lædat, quod famem sine offensione depellat, ac nil ulterius requiramus. Orat. 6, *de Fato.*

61. Cum te ultra quam sat est pascis, imprudens hostem pascis. Lib. 1, *Parall.*, cap. 77. S. JOAN. DAM.

62. Bona educatio est utilissima ; nutritio enim æquivalet naturæ, sed per malam nutritionem, homines veluti bestiæ et brutales efficiuntur. JOAN. GERS.
Serm. 1, *de S. Antonio.*

63. Corpus alimento, non deliciis, paucitate non saturitate, sufficientia non magnificentia opus habet. Lib. 2, epist. 57, *ad Pallad.* S. ISID. PEL.

65. Victus non ad voluptatem referendus est, sed ad vivendi alicujus utilitatis causa voluntatem. Epist. *ad Zenam.* S. JUSTIN. MART.

66. Alimenta adhibenda sunt, ut ne esuriamus. *Ibid.*

67. In victu parco, fit animus prudens : in lauto, mens in profundum demergitur. Orat. 1, *de Gula.* S. NILUS AB. MART.

68. In sumendis alimentis, parcitas asperitatem mitiget, vulgaritatem delibatio castigata commendet. *Prosec.* S. PETRUS DAMIANUS.

69. Non sufficit in esculentioribus cibis cohibere crapulam, nisi et in ipsis grossioribus noverit quis tenere mensuram. Opusc. 49, cap. 2.

70. Pulchre convenit, ut factum e terra corpus cognatis alatur cibis, quos terra producit : at anima ætheræ naturæ portio, habeat alimenta divina ætherea que. Lib. 2, *Legis allegor.* PHILO JUD.

S. PROSPER. 71. Non aliquarum carnium, quæ usui humano concessæ sunt, nobis naturæ damnandæ sunt, quas Deus instituit : sed carnales concupiscentiæ fugiendæ, quas sensui carnis diabolus introduxit. Lib. 2 *De Vita contemplat.*, cap. 23.

THOMAS A KEMPIS. 72. Quid prodest hic carnem delicate nutrire, et postea in inferno gravissime torqueri? In *Valle lilior.* cap. 14, sect. 3.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 73. Non fieri potest, ut vivatur sine alimento. Lib. 1, *Polit.*, cap. 5.

CICERO. 74. Esse oportet, ut vivas : non vivere, ut edas. Lib. 4, *de Arte rhetor. ad Herenn.*

HIPPOCRAT. 75. Impura corpora quo plus nutriveris, eo magis læseris. *Comment.* 2, aphorism. 10.

76. Facilius est potu refici, quam cibo. *Ibid.*, aphorism 11.

PLATO. 77. Haudquaquam prius salubribus alimentis corpus frui potest, quam ea, quæ in corpore sunt impedimenta, quis expulerit. Sizygia 2, in *Dialogo sophistæ.*

SENECA. 78. Edendi est bibendique finis, desideria naturæ restinguere, non implere alvum, et exinanire. *De Beata vita*, cap. 20.

79. Alimenta quæ accipimus, quandiu in sua qualitate perdurant et solida innatant stomacho, onera sunt : at contra, cum ex eo quod erant mutata sunt, tum demum in vires et in sanguinem transeunt. Epist. 84.

80. Sine fastidio implendus est venter : in quem sic pretiosa congerimus, tanquam recepta servantem : quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quidquid acceperit? Epist. 110.

81. Sani erimus, si modica concupiscemus, si unusquisque se numeret, metiatur simul corpus, sciatque nec multum capere, nec diu posse. Epist. 114.

82. Considera tecum, quantum natura poscat, et non quantum cupiditas expetat. *De Quatuor virtut.*

Vide etiam tit. *Corpus*, sent. 34; *Misericordia*, sent. 147; *Satietas*, sent. 17, 34; *Sobrietas*, sent, 14; *Superfluitas*, sent. 50.

OBEDIENTIA.

S. ANTONIUS DE PADUA. *Etymologia.* Obedientia, quasi obaudientia dicitur : cum tui prælati vox, quæ est aer, reverberat tuam aurem, interiori cordis affectu debet audire. Serm. *Dom.* 12, *post Trinit.*

HUGO CARD. Obedire dicitur, quasi obaudire, id est, contra se audire. Super *Prov.*, cap. 12.

S. ANTONIN. *Definitio.* Obedientia est obtemperantia secundum regulam sacræ scripturæ majoribus quibuscunque debita. Part. 4, tit. 5, *de Justitia.*, cap. 11, § 1

Obedientia est spontanea et rationabilis propriæ voluntatis abnegatio. *Ibid.*

Obedientia est spontaneum et rationabile propriæ voluntatis sacrificium. Part. 3, *Centiloquii*, sect. 44. S. BONAV.

Inobedientia est ex duritia mentis obstinatæ, ei cui parere debeas justa imperanti, nolle obtemperare. *De Fruct. carnis et spirit.*, cap. 4. HUGO A S. VICTORE.

Obedientia est innixa pio studio propriæ voluntatis voluntaria abnegatio. *Ibid.*, cap. 16.

Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa. *Gradu* 4. S. JOAN. CL.

Obedientia est mortificatio membrorum in vivente animo. *Ibid.* S. LAUR. JUST.

Obedientia est voluntas faciendi mandatum superioris. Part. 1, *de Ligno vitæ*, tract. 6, *de Obedientia*, cap. 1.

Comparatio. Obedientes cum tristitia similes sunt Simoni Cyrenæo portanti crucem invite. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 11, § 2. S. ANTONIN.

Sicut avis cum duabus alis volat ad sublimia : sic obediens cum duabus alis, scilicet cum ala paupertatis, et cum ala castitatis, scandit ad cœlestia. Tit. 4, *Diætæ*, cap. 2. S. BONAV.

Sicut sanies ex vulnere, sic ex ulcere inobedientiæ contemptus emanat. Lib. 2, *de Claustro animæ*, cap. 13. HUGO A S. VICTORE.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Nemo melius alicui obtemperat, quam qui ex charitate obsequitur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. 1. S. AMBROS.

2. Odedire amabile est, resistere execrabile. In *Meditationibus.* S. ANSELM.

3. Hæc est perfecta et liberrima obedientia, cum voluntatem suam quis liberam sponte voluntati Dei subdit, et cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione spontanea libertate opere perficit. In *Meditat. Redemp. humanæ*, cap. 4.

4. In obedientia totus vigor bene vivendi construitur, in ejus negligentia destruitur. Epist. 6, *ad Monachos Cistrenses.*

5. Qui invitus obedit, aut rem, aut meritum perdit : et talis obedientia, aut nulla est aut minima. Part. 1, tit. 20, cap. 1. S. ANTONIN.

6. Inobedientia prima filia est inanis gloriæ. Part. 2, tit. 4, cap. 2.

7. Vera obedientia est humilis, devota, festina, jucunda, perseverans. Humilis in corde, devota in voce, festina in jussione, jucunda in executione, perseverans in adimpletione. Serm. *Dom.* 2, *Advent.* S. ANTONIUS DE PADUA.

8. Verus obediens, est benignus ad obediendum prælato, humanus ad compatiendum proximo, stabilis in proposito. Serm. *Dom.* 2, *post Epiphan.*

9. Obedientia in creatura rationali, mater quodammodo est omnium, custosque virtutum. Lib. 14, *de Civit. Dei.*, cap, 12. S. AUGUST.

10. Majus bonum est obedientiæ, quam continentiæ. *De Bono conjugali.*, cap. 23.

11. Abraham duxit filium suum ad immolandum, cui obtemperaverat ut ferirct, obtemperavit ut parceret, ubique obediens, nusquam timidus. Super *Psalm.* 30, conc. 2, vers. 15.

12. Nihil tam expedit animæ, quam obedire : si expedit animæ obedire, in servo ut obediat domino, in filio ut obediat patri, in uxore ut obediat viro, quanto magis in homine ut obediat Deo? Super *Psalm.* 70, conc. 2.

13. Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientia, nisi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala : sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia invenit pœnam. *Ibid.*, vers. 21.

14. Caro bene obediens, famula est animæ. Illa regit, hæc regitur : illa imperat, ista famulatur. Super *Psalm.* CXLV, vers. 1.

15. Adolescens sine obedientia, adolescens sine disciplina est. *De Duodecim abusion.*, cap. 3.

16. Ostensum est in Noe, quid Adam præceptum contemnendo perdiderit : et demonstratum est, posse homines bestiis etiam dominari, si subdant obedientiam conditori. *De Quatuor virt. charit.*

17. O venerabilis sanctaque obedientia! salus omnium fidelium, custodia omnium virtutum; tu cœlum aperis, et infernum claudis. Serm. 5, *ad Fratr. in eremo.*

18. Ut non esset nobis obedientia laboriosa, exitum præsentis vitæ Salvator per obedientiam terminavit. *Ibid.*

19. Jure obedientia omni sacrificio præponitur, quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium facere potuit.

20. Per obedientiam nunquam debet fieri malum, etiamsi angelus vel archangelus, cherubim vel seraphim tibi præcipitat : sed scire debes, quia propter obedientiam aliquando debet bonum quod agimus intermitti. *Ibid.*

21. Obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est : aliquando si de suo aliquid non habeat, minima est. *Prosec.*

22. Nam cum hujus mundi prospera præcipiuntur, cum locus superior imperatur, is qui ad hæc percipienda obedit, virtutem obedientiæ sibi evacuat, si ad ea proprio desiderio anhelat.

23. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci et contumeliæ jubentur, nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ meritum sibi minuit.

24. Debet ergo obedientia in adversis ex suo aliquid habere, et in prosperis ex suo aliquid non habere : prospera mundi ex sola jussione suscipiamus, et adversa ex devotione complectamur. *Ibid.*

25. Ecce angelus in omnibus obedit Deo, et tu qui cinis es et vermis, contradicis Deo : insensibilia obediunt Deo, et tu rationalis resistis Deo. *Ibid.*, serm. 7.

26. *Melior est obedientia quam victimæ* : quæ causa est, nisi quia in victimis aliena immolatur caro, sed in obedientia voluntas propria et caro mactatur? *Prosec.*

27. Tanto enim citius placat homo Deum, quanto repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat. *Ibid.*

28. Sub obedientia, potest latere fel draconis sub specie mellis, lupus sub pelle ovina, in potu dulce venenum sæpe latitat, in olla sæpe mors ponitur. *Ibid.*

29. Obebientia, quæ præcipitur, sit honesta, et omni discretione ornata : nam si discreta non fuerit, crudelitas existimanda est : si honesta non fuerit, nullatenus obediatur. *Ibid.*

30. Obedientia honestate privata, superbia est, et venit ex utriusque parte consentientis et præcipientis. *Ibid.*

31. Obedientia tunc vera, tunc sancta, tunc meritoria est, quando ditata est discretione, honestate, justitia, et humilitate. *Ibid.*

32. Hæc est illa obedientia, quæ concordiam conservat in angelis, pacem nutrit in monachis, tranquillitatem generat in civibus, sine qua respublica stare non potest, sine qua familia aliqua regi non potest. *Ibid.*

33. O quam enorme vitium, quod obedientiæ contrarium est! per quod diabolus cœlum perdidit, per hoc homo paradisum amisit, per hoc Saul regnum, per hoc Salomon amorem divinum. *Ibid.*

34. Obedientia sancta est Dei sponsa, perfecta scala qua cœlum ascenditur, quadriga qua Helias vectus est in paradisum, porta paradisi fidelium, et clausura reorum inferni. *Ibid.*

35. Obedientia sancta humilitatem nutrit, patientiam probat, mansuetudinem examinat. *Ibid.*

36. Nihil est majus obedientia, nihil pejus inobedientia. Adam periit, quia inobediens fuit; Christus resurrexit, quia Patri obedivit. Jonas inobediens, a pisce absorptus est : Saul inobediens, a dæmone correptus est. *Ibid.*, serm. 34.

37. Obedientia sine mora esse debet; non placet Deo morosa et disceptatrix obedientia, quæ quidem cum præcipitur, quæritur quare, quamobrem præcipiatur. *Ibid.*, serm. 40.

38. Debet obedientia esse sine mora, non cum